

SCHRÖDERI DILUCIDATI
PHYTOLOGIA
SIVE
REGNUM VEGETABILE.

Ntea quam nos accingamus ad medicamentorum compositionem artificialem, operæ pretium erit siagula vulgo dicta **INGREDIENTIA** aut **SIMPLICIA** enucleate proponere, ut ex cujusvis natura probe percepta, deinceps de ipso **COMPOSITO** remedio rectius judicare possimus. Exordiemur autem à **PHYTOLOGIA**, sive illa doctrina, qua plantarum natura, virtutes & præparaciones enodantur.

Antequam autem ipsas plantas consideremus, quædam in genere monenda erunt de *Scriptoribus partim Botanicis, partim & variis Vegetabilium generibus.*

SCRIPTORES, qui studio huic *Botanicò* ex professo operam locarunt, sunt vel *Veteres*, vel *Recentiores*.

Inter *Veteres* primus omnium *Vegetabilium* historiam systematicè proposuit **DIOSCORIDES**, quem securus est **GALENUS**, omnia ferè ex prædicto **DIOSCORIDE** exscribens. Hunc **ARABES** postmodum exceperunt. In **DIOSCORIDEM** illum *Commentarium* scripsit **MATTHIOLUS**, *Animadversiones* vero **AMATUS LUSITANUS**.

Inter *Recentiores* **Botanicos** 2. *Classes* invenire licet. I. *Eorum*, qui *Grammatica* tantum modo de *Vegetabilibus* scripserunt, *appellationibus* nudis & *formis* externis intenti, ut **BAUHINUS**, **CLUSIUS**, **CORDUS**, **LOBELIUS**, **ALPINUS**, &c. II. *Eorum*, qui *Medicè* de *eadem* egerunt, *vires* imprimis & *facultates* earundem scrutantes; Ex quibus clarent **TABERNÆ**, **MONTANUS** copiosus quidem, sed confusus & incertus; **SIMON PAULI** elegans & tamen copiosus; **CASPAR HOFFMANNUS** *Tr. de Med. Officin.* qui de nomine, specie & usu multa in ordinem reduxit, sed more Galenico. **KARRICHTER** in *Botanico Germanico*, qui vestigiis Paracelsicis insistens *modum colligendi & asseruandi* ostendit accuratum. Quin ipse **PARACELSDUS** *Botanicum* concinnavit, sed parvum, modum tamen ostendens verum studium hocce perscrutandi.

Facultates alias *simplicium* horum plerumque à *qualitatibus primis*, caliditate, frigiditate &c. ut & aliis *occultis* determinantur, sed minus rectè. Hac enim ratione omnes *virtutes specificæ* occultæ jacerent & prorsus laterent, quæ

tamen maximam partem in curando absolvunt, *Quid quod prædictæ qualitates* prorsus imaginariæ sint, cum harum nullam in herbis quibusdam & aliis simplicibus invenias, quæ respectivè tamen, prout subjectum offendunt, in illud agunt, v. g. *Spina digito infixa* summum calorem infert, quum tamen per se minus calida sit. *Spiritus vini* in se frigidus ætè est, in corpus tamen assumptus intensissimum calorem infert.

Rectius igitur virtutes vegetabilium determinandæ sunt à *mistura materiali* seu *textura minutissimarum particularum* atque *vi idearum radiativa*. Amuleta v. g. non tam qualitatibus istis actionem suam perficiunt, quam emanatione effluviarum: *Radix scil. & fundamentum* omne consistit in *tali textura*, qua mutata, mutatur & effectus. Sic *purgantia* per acida, *antiscorbutica* per exsiccationem castrantur, ob mutatam particulatam texturam.

Inter *particulas hæc* primatum obtinent *subtiliores & volatiliores* Θ na & Θ sa. Inde enim est, quòd per *sapores & odores* subinde se manifestent *vegetabilia notiora* v. g. *Cinamomum*, ob Θ vol. Θ sum in eo contentum. His enim per *destillationem* exhaustis, cortex iners est & omni *ivegetia* carens.

Prout autem *variat hæc textura materialis*, ita & variant *vegetabilium vires*. Hinc longè alia virtus sæpe est in *foliis*, alia verò in *radice* unius ejusdemq; plantæ. Sic in *sambuco* alia vis se exerit in *foliis*, alia in *cortice*, alia in *radice*. *Radix* scil. purgat *hydropicos*; *Flores* lac procreant; *Succus* autem inspissatus *Erysipelati* prodest & *sudorem* pellit.

Hæc præmissis jam propius ad *Vegetabilia* accedamus, quæ doctrinæ melioris gratia secundum omnes illorum partes distinguemus; *Nempe*

I. In **PLANTAS** seu **HERBAS**, quæ sub *quintuplici classe* iterum considerandæ:

Prima Classis est illarum, quæ ferè sunt *insipide*, adeoque abundare videntur *ære*, quales sunt *lactuca & sedum majus*. Hæ pro usu *Medico* subministrant ∇ *destillatas* & *succum expressum* blandè inspissandum. Hæ tales vulgo *frigida* dicuntur atque *humida*.

Secunda est earum, quæ habent *saporem acidulum* & blandè *adstringentium*, gaudentque Θ vol. *blando* Θ reo & *ære* Θ riali. *Tales sunt* omnes species *acetosæ*, *ribium*, *berberum* &c. Subministrant ∇ , sed minus efficacem. In *succo* remanet Θ *essentiale* Θ reum, in quo earum *efficacia* quasi *concentrata* est.

* A

Tertia

B. 71.